DE VERBORUM CUM PRÆPOSITIONIBUS COMPOSITORUM APUD LUCRETIUM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONCESSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI

PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

AUCTOR

HERMANNUS KELLER

MARCHICUS.

HALIS SAXONUM.

MDCCCLXXX.

Praefatio.

Postquam viri docti, qui ad res grammaticas studium et diligentiam conferunt, nisi singula perquirendo ad universam linguae cognitionem perveniri non posse recte perspexerunt, nostris temporibus magis quam antea singulorum scriptorum genus dicendi diligentius examinaverunt et persecuti sunt. Praecipue autem haec studia ad eos scriptores pertinent, qui nobis quasi quandam imaginem et specimen praebent priscae latinitatis: quare Romanorum poetae scenici in primis nunc doctorum virorum ingenia exercent. Sed Lucretius quoque in hoc numero habendus est, qui quamquam de rerum natura libros exeunte fere septimo saeculo p. u. c. conscripsit, quo tempore Ciceronis opera lingua Latina vel maxime exculta et ad summum florem perducta est, tamen ornatum sermonem vi et auctoritate Graecorum in vernaculam linguam collatum in suum usum non convertit, sed ut ipse erat prisca virtute et fide, ita orationem suam ad antiquiorem et graviorem Plauti Ennii Lucilii elocutionem conformare maluit, quam Graecorum imitari exemplum. Quapropter permulti huic poetae illustrando et emendando operam navaverunt, postquam Lachmannus carmina ad optimorum codicum fidem recensita atque emendata edidit, omnibusque studiis quae huc spectant firmum constituit fundamentum. Namque ut omittam quae post doctissimum illum virum Munroius in editione critica et exegetica (Cambridge 1860 et iterum 1866) ad singulos Lucretii locos accuratius illustrandos eiusque sermonem subtilius pernoscendum attulit, multi nostrae aetatis viri eruditi ad singulas generis dicendi partes studium contulerunt et peculiaribus libellis ea quae invenerunt in lucem prodiderunt, velut Altenburgius (de usu antiquae locutionis in Lucretii carmine obviae, Gothae 1857), Prollius (de formis antiquis Lucretianis, Vratislaviae 1859), Bouterwekius (Lucretianae quaestiones grammaticae et criticae, Halis 1861),

Schubertus (de Lucretii verborum formatione, Halis 1865), Pollius (de artis vocabulis quibusdam Lucretianis, Dresden 1866), Staedlerus (de sermone Lucretiano, Jenae 1869), Kuehnius (quaestiones Lucretianae grammaticae et metricae, Vratislaviae 1869), Schroeterus (die Condicionalsätze des Dichters Lucenz, Wesel 1874), Wolffius (de Lucretii vocabulis singularibus, Halae 1878); sed tantum abest, ut iam omnia quae ad hunc poetam pertinent plana et explorata haberi possint, ut etiam atque etiam exsistant novae quaestiones, magnusque pateat studiis grammaticis campus. Ac ne post syntaxis quidem lineamenta Lucretianae ab Holtzio Lipsiae 1868 prodita singularum rerum in sermone Lucretiano obviarum accurata perscrutatio supervacanea videtur esse, cum alia minus recte exposita et perspecta sint, alia non satis effuse explanata et iusto magis coartata videantur. Quare **de verborum cum praepositionibus compositorum apud Lucretium usu** disserere in animo est, neque vereor ne laborem inutilem et supervacaneum susceperim. Nam cum satis constet verba composita variis temporibus varie a scriptoribus Romanis, modo simplici casu, modo praepositione iterata, usurpata esse, cumque e quaestionibus de eadem re apud alios iam scriptores institutis*) dilucide appareat antiquiores scriptores praepositionem vel eandem vel similem repetere solere, cum ei qui imperatorum temporibus scripserunt nudum dativum praetulerint, haud ingratum videtur perquirere, quomodo Lucretius, is qui tam singularem locum in litteris Romanis obtinet, hac in re versatus sit.

Sed antequam ad rem ipsam accedam, paucis explicare liceat, primum quo ordine quoque modo verba disponenda esse

*) cf. Hildebrand de verbis quae apud Ciceronem Caesarem Livium cum praepositionibus 'a de ex' conjunguntur, progr. progymn. Dortmund 1858. 1859. Lehmann de verborum compositorum quae apud Sallustium Caesarem Tacitum leguntur cum dativo structura commentatio, Vratislaviae 1863. Augustin de usu dativi ac praepositionum in structura verborum compositorum quae apud Ciceronem leguntur, Progr. gymn. Ratibor 1869. Ignatius de verborum cum praepositionibus compositorum apud Cornelium Nepotem T. Livium Curtium Rufum cum dativo structura, Halis 1877. Hahn de verborum cum praepositionibus compositorum apud veteres Romanorum poetas scaenicos cum dativo structura, Halis 1878.

putaverim et quod consilium in exemplis adferendis secutus sim, tum quid discriminis intercedat inter varias structuras a verbis compositis pendentes.

Ordinem autem dissertationis ita aptissime et dilucidissime instituere mihi visus sum, ut verba disponerem ex structura, quam ex praepositionibus quibuscum composita sunt accipiunt. Quare primo loco de eis verbis quaerere in animo est, quae cum praepositionibus 'a de ex' composita aut praepositionem assumunt, qua rem ab aliquo loco removeri vel ab alia re separari significatur, aut nudum ablativum aut dativum. Altero autem loco de eis verbis disputare mihi proposui, quae cum praepositionibus 'ad con in inter ob post prae sub' composita sunt. Quarum praepositionum, quamvis subtiles quaedam differentiae et varietates intercedant, hoc commune est, quod appropinquationem quasi quandam et coniunctionem significant, quare verba quoque, quae cum eis componuntur, hanc generalem ex eis accipiunt notionem. Hac ipsa autem significatione fit, ut duplicem patiantur constructionem, aut praepositionem aut dativum. Tertio denique loco ea verba colligam disponam de singulis disputabo, quae a verbis intransitivis formata cum praepositionibus 'ad con de e in ob per praeter sub trans' composita in transitivam abeunt notionem et accusativum assumunt. In nonnullis autem verbis cum usu veniat, ut praeter dativum vel praepositionem etiam accusativum admittant, liceat mihi in eis ita versari, ut varias horum verborum structuras sub uno quasi conspectu collocem, quo modo et discrimina quae inter eas intercedunt apertius et manifestius appareant, et rerum tractatarum perspicuitas brevitasque augeatur.

Atque ne quis ignoret, qua ratione in exemplis adferendis usus sim, ita ea in re versatus sum, ut omnia exempla quam accuratissime et diligentissime colligerem et exscriberem. Quin etiam nonnulla, quae proprie ad hanc quam tractamus rem non pertinent, quoniam praepositionis, quacum composita sunt, propria vis non servata est neque ab ea pendet verborum structura, non indigna esse putavi de quibus agerem: neque enim quoque loco fines tam certi tamque firmi sunt, ut ubique certo evidenterque dici possit, ubi praepositionis vis potestasque sublata sit,

tum autem constructionis verborum, quae tractarem, plenam volui et ex omnibus partibus absolutam proponere speciem.

Altero loco explicandum est quid discriminis intercedat inter varias structuras a verbis compositis pendentes. Iam vero quoniam ex quaestionibus de verborum compositorum apud varios scriptores usu institutis satis apparet horum verborum constructionis legem paulatim sed constanter progressam esse, et ita quidem, ut antiquiores scriptores praepositionem iteratam praetulerint, cum posteriorum temporum scriptoribus dativus magis placeat, facile inde colligitur totam horum verborum rationem varie variis temporibus iudicatam et intellectam esse. Quod quidem discrimen ita videtur mihi definiendum esse, ut priscis temporibus, ubi praepositio saepius adhibita est, duo verborum compositorum membra nondum tam arte tamque inseparabiliter concreverint et cohaereant, ut alterum quasi vocabulum cum significatione prorsus nova efficiant; immo utraque compositionis pars in animo dicentis vel scribentis adeo etiam distincta et separata erat, ut pro sua quaeque primaria significatione structuram variare et immutare posset. Posteriore vero aetate, quo magis lingua Latina excolebatur et in monumentis litterisque adhibebatur, eo minus ei qui loquebantur aut scribebant quoque puncto temporis sibi conscii erant, ubi verba composita usurpabant, duas in eis exstare partes, quarum utraque suam propriam notionem suamque rationem haberet: itaque eis utebantur quasi novis vocabulis cum simplicibus verbis nullo iam vinculo coniunctis. Quo factum est, ut haec in structura verborum compositorum constitueretur norma*), ut verba ea exciperet constructio, quae posita esset in ea quae ex compositione proficisceretur verborum significatione et in vi potestateque singulorum casuum propria. Haec autem ita comparata sunt, ut verbis, prout significatio in eis inest, triplex accommodari possit construendi ratio, coniunguntur enim aut cum dativo aut cum accusativo aut cum praepositione aliqua. Neque vero has constructiones pari ratione vel nullo discrimine intercedente adhibere licet, sed certae exstant differentiae, quibuscum certae quaedam

*) cf. Ad. Lehmann p. 3. Hahn p. 2.

notiones et cogitationes coniunguntur. Atque praepositio tum suum habet locum, cum loci ratio, quae verbis praepositionibus primitus locali*) natura praeditis tribuitur, in verbo cum substantivo coniungendo enucleate et significanter exprimitur. Ciceronem autem eam etiam tum adhibere cum figurate loquatur Augustin testatur p. 2.

Nec multum discriminis intercedit inter iteratam praepositionem motum alicui rei ab aliquo loco inditum significantem et sextum casum nude positum, quae variatio etiam apud optimos scriptores invenitur in verbis cum 'a de ex' praepositionibus compositis. Ac ne ea quidem in re Lucretius ab usitato sermone abhorret, quod eisdem verbis saepius, ubi de persona agitur, tertium casum adscripsit qui referendus est ad dativum commodi et incommodi.

Verba autem quae cum praepositionibus 'ad con in inter ob post prae sub subter' composita sunt, saepissime ab hac primaria significatione, quam localem esse supra diximus, recesserunt, et magis generaliter usurpata ad omnes fere res et rationes pertinent. Qua tralata significatione dativum aut etiam accusativum assumunt. Dativus autem quo modo cum his verbis coniungatur ex ipsa eius indole et natura apparet. Quae cum ita comparata sit, ut tertius casus valeat ad actionem de qua agitur accuratius definiendam, et ita quidem, ut finis indicetur actionis vel id quod persona — personaliter enim dativus plerumque usurpatur — in agendo expetat et sequatur, quocum arte cohaeret notio commodi et incommodi: verba composita, quippe quae per se non absoluta sed relativa sint, ex dativo, qui eis adicitur, tamquam suum sumunt supplementum, ex quo accuratius et certius cognoscitur, quo verbi actio spectet quoque referenda sit. Quare ubicunque in his verbis e rerum conexu satis apparet, quid sit illud quod verbi actionem cum substantivo coniungat, dativus suum habet locum; verum ubi sententia e dativo non satis manifesta fit, tum praepositione addita accuratius definitur, quae ratio intercedat inter verbum et

---

*) cf. Haase Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft ed. Eckstein, Lips. 1874 p. 122.

substantivum. Quod discrimen nobis, cum de verborum usu agemus, non negligendum erit.

Accusativus denique, qui ex tota sua indole vel proprie verbali, ut ita dicam, natura praeditus sit, etiam in lingua Latina proprium verbi supplementum est. Neque vero dativus et accusativus tam certis tamque definitis finibus distincti sunt, ut non transitus huc illuc fieri possit, quoniam non solum apud varios scriptores utrumque casum promiscue usurpatum videmus, sed etiam idem auctor modo hoc, modo illo casu utitur*) nullo fere discrimine intercedente. Quare de cuiusque verbi apud quemque scriptorem usu quaerendum est. Sed haec hactenus, iam ad rem ipsam accedere licebit.

*) cf. Hermann Mueller de generibus verbi, Gryphisvald. 1864 p. 38. qui hac re commotus verborum illam in transitiva et intransitiva distributionem a veteribus grammaticis factam, omnino reiecit. Vide etiam quae hac de re disputavit Haase Vorlesungen p. 95 et 157 sqq.

I.

Verba cum 'a de ex' praepositionibus composita, quippe quibus haec generalis subsit notio, ut significent motum ab aliqua re profectum vel causative actionem quae hunc motum efficit, triplici modo apud Lucretium constructa inveniuntur, aut cum praepositione, aut cum ablativo, aut cum dativo. Praepositiones autem, quae cum his verbis coniunctae inveniuntur, ita inter se differunt, ut praepositio 'a' generaliter exprimat motum, quo quid ab aliquo loco removetur vel ab alia re separatur; praepositio autem 'de' indicet motum ex superiore loco fieri in inferiorem; denique 'ex' praepositione motus ita accuratius definiatur, ut ex interiore alicuius rei parte exoriri dicatur, quamquam haec discrimina non semper stricte servata sunt.

Discrimen autem quod intercedit inter iteratam praepositionem et ablativum nude positum paene nullum est, nisi quod sexto casu, cuiusmodi sit motus, is qui legit magis e rerum nexu colligere debet, quam ut expressis verbis indicetur. Dativus denique cum his verbis coniunctus referendus est ad vim dativi commodi et incommodi. Verba autem haec sunt:

§. 1. Verba cum 'a' praepositione composita.

Abesse cum duobus tantum locis ita constructum legatur, ut indicetur finis, a quo persona vel res separata est, semel cum praepositione, semel cum ablativo coniungitur: IV, 242*) 'quantum quaeque a nobis res absit.' IV, 406 'vix absunt nobis missus bis mille sagittae.' Ceteris locis: III, 955, 1016, 1080; IV, 248, 1053; V, 588 absolute legitur.

---

*) Numeros semper sequor Bernaysianos.

auferre cum praepositione: IV, 533 'quid corporis auferat et quid detrahat ex hominum nervis.' VI, 825 'reliquias vitae membris ex omnibus aufert.' Cum dativo incommodi: V, 205 'duas partis geli casus mortalibus aufert.'

Eodem modo abluere construitur, cum Lucretius ei semel praepositionem, semel dativum accommodet: IV, 873 'anhela sitis de corpore toto abluitur.' IV, 376 'nigras sibi abluit umbras' (sc. terra).'

abhorrere cum praepositione: I, 945 'volgus abhorret ab hac.'

abradere cum ablativo: IV, 1095 'nec manibus quicquam teneris abradere membris possunt.' Eodem redit adverbium 'inde' IV, 1102 'nil inde abradere possunt.'

abrumpere nudum ablativum patitur: II, 214 'abrupti nubibus ignes.'

abundare ubi propria vocis significatio servata est praepositionem assumit: IV, 89 'diffusa e rebus — abundat.' IV, 143 'summum quidquid de rebus abundat.' Sed ubi in tralatam abiit vim, qua idem est ac 'redundare, affluere, magnam alicuius rei copiam habere,' Lucretius, sicuti omnes Romanorum scriptores, ablativum cum hoc verbo coniungit: II, 1089 'genus omne quod est generatim rebus abundans.' Sic aptissime Lachmannus scripsit mutando 'hic,' quod codicibus traditum sensu caret, in 'est.' V, 262 'umore novo mare flumina fontes semper abundare.' V, 814 'molli lanugine abundans.'

avellere cum praepositione: V, 313 'avolsos silices a montibus altis.' Cum ablativo: II, 257 'fatis avolsa potestas.' III, 561 'avolsus radicibus.'

avertere cum ablativo: IV, 1265 'locis avertit seminis ictum.'

Restat unum verbum, cui Lucretius duobus locis ubi legitur dativum personae adscripsit:

absterrere IV, 1056 'pabula amoris absterrere sibi.' IV, 1226 'nec divina satum genitalem numina cuiquam absterrent.'

§. 2. Verba cum 'de' praepositione composita.

Decedere cum ablativo: II, 34 'decedunt corpore febres.' Cum dativo personae: II, 72 'quae decedunt corpora cuique.'

declinare neutrali sensu cum ablativo coniungitur: II, 250 'nulla regione viai declinare.'

deducere utroque loco apud Lucretium ablativum assumit: I, 370 'deducere vero.' III, 533 'cunctis sensum deducere membris.' Sic recte iam Marullus pro 'diducere,' quod codd. praebent.

deerrare cum praepositione: I, 711 'a vero longe deerrare videntur.' III, 859 'vageque deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.'

deferre semel cum praepositione, semel cum ablativo coniungitur: I, 118 'detulit ex Helicone perenni fronde coronam.' III, 132 'alto delatum Heliconi.'

deicere cum praepositione: V, 1123 'e summo deicit ictos invidia.'

delibare cum praepositione: IV, 621 'parvam delibet ab aequore partem.'

demere quamquam uno loco: III, 906 'merorem e pectore demet' praepositionem patitur, tamen duobus aliis locis: V, 1112 'validis et pulchris dempsit honorem,' VI, 420 'demit imaginibus — honorem,' ubi forma ipsa dubitationem admittit, sextus an tertius casus statuendus sit, dativum potius accipiam, quoniam priore loco manifesto agitur de personis, quibus quid adimitur, altero quamquam de imaginibus sermo est, eae ita introducunter, ut in actione*) videantur esse, vel potius ut damno quasi quodam afficiantur.

demittere bis cum praepositione, bis cum ablativo coniungitur: II, 1154 'mortalia saecla superne aurea de caelo demisit funis in arva.' VI, 257 'e caelo demissum fulmen.' Cum ablativo: V, 672 'mollem malis demittere barbam.' VI, 445 demissum caelo prestera.'

deripere cum praepositione 'de:' IV, 32 'quasi membranae summo de corpore rerum dereptae.' Eodem modo

---

*) Quomodo Romanorum poetae de rebus agant quasi de personis vid. R. Kuehner gramm. II, §. 80 Anm. I.

descendere VI, 427 'in mare de caelo descendat.'

detrahere cum praepositione: III, 225 'detractum de corpore quidquam.' III, 512 'de summa detrahere hilum.' IV, 534 'quid detrahat ex hominum nervis — perpetuus sermo.' V, 683 'quod ab alterutra detraxit parte.' Semel cum ablativo: III, 442 'detracto sanguine venis.'

detrudere V, 637 'aestivis solem detrudere signis' cum ablativo coniungitur, sicut etiam

deturbare V, 401 'deturbavit equis in terram.'

Quibus subiungam ea exempla, quae dativum commodi vel incommodi praebent:

decidere V, 933 'arboribus veteres decidere falcibu' ramos.'

deesse I, 43 'communi deesse saluti.' III, 254 'ut vitae desit locus.'

depellere III, 321 'quae nequeat ratio depellere nobis.'

§. 3. Verba cum 'ex' praepositione composita.

excipere bis apud Lucretium cum 'ex' coniunctum reperitur et ea quidem significatione, ut status quidam aliam rerum condicionem continuo sequi et tamquam inde proficisci dicatur: V, 826 'ex alioque alius status excipere omnia debet.' V, 832 'ex alio terram status excipit alter,'

excutere cum praepositione: VI, 687 'ab ollis excussit calidum flammis velocibus ignem.'

efflare uno loco ubi Lucretius neutrali sensu adhibuit ablativum cum eo coniunxit: VI, 681 'flamma foras vastis fornacibus efflet.'

effluere cum ablativo: VI, 795 'manibus nitidum teneris opus effluit ei.' Eodem modo

effutire V, 907 'multa licet simili ratione effutiat ore.'

effugere bis cum ablativo coniunctum reperitur: II, 45 'religiones effugiunt animo.' IV, 38 'animas Acherunte effugere.' Reliquis autem locis Lucretius vulgarem accusativi structuram accommodavit: I, 832 'ut mortem effugiat.' III, 748 'effugeret canis — incursum cervi.' IV, 821 'vitium effugere.' IV, 1142 'effugere infestum.' Discrimen autem quod intercedit inter has

duas constructiones manifestum est: cum accusativo enim iunctum hoc verbum indicat fugam vel evitationem rerum adversarum, quibus nondum affecti sumus; ablativus autem vel praeposito, quae apud optimos scriptores ita usitatior est, tum adhibetur, cum e periculis malisve rebus servamur, in quibus antea versati sumus.

Simile discrimen intercedit inter praepositionem et accusativum in construendo verbo exeundi. Omnes enim loci, qui praepositionem aut ablativum patiuntur, apud Lucretium tales sunt, ut meram servent loci significationem, unde motus proficiscitur, ita cum praepositione: III, 1058 'exit saepe foras magnis ex aedibus.' V, 791 'de salsis exisse lacunis.' V, 830 'e contemptibus exit,' codices hic praepositionem omiserunt, sed metrum postulat, quod etiam cadit in V, 1276 ubi versus iterum occurrit.

Cum ablativo: I, 668 'suis mutatum finibus exit,' quod sine variatione repetitur II, 753; III, 517. III, 770 'membris exire senectis.' IV, 512 'normaque si fallax rectis regionibus exit.' IV, 1140 'retibus ipsis exire.' VI, 120 'exierunt donec regionibus artis.' VI, 1219 'nec tristia saecla ferarum exibant silvis.' Ubi vero accusativus suum habet locum, verbum translate dicitur et ad eundem fere redit sensum, quo nuncupamus 'relinquere vel evitare' ita V, 1328 'feros exibant dentis adactus iumenta.' VI, 1215 'ut acrem exiret odorem.'

eximere ablativum assumit in oratione 'exempto rebus inani' bis occurrente I, 660, 742.

eicere cum praepositione: III, 875 'nec radicitus e vita se tollit et eicit.' Cum ablativo: IV, 1264 'eicit enim sulcum recta regione.' V, 982 'eiectique domo fugiebant' ubi id quod in mss. haud dubie corrupte scriptum est 'electique' iam Itali recte mutaverunt in 'eiectique.' VI, 689 'tollit se ac rectis ita faucibus eicit alte.'

elicere cum praepositione: III, 58 'nam verae voces tum demum pectore ab imo eliciuntur.' Ita est in codicibus. Lachmannus autem quamquam hanc codicum lectionem ferri quidem posse non negat, tamen eiciendi verbum praefert et in textum recipit tamquam simplicius et Lucretio magis conveniens. Ego

autem librorum manuscriptorum scripturam non solum ferri posse affirmaverim, sed multo significantius et sententiarum nexui multo aptius eliciendi verbum mihi videtur dictum esse, quam id quod Lachmannus mutatione effecit. Cum enim hoc loco sermo sit de hominibus in rebus adversis versatis, cumque Lucretius affirmet homines in ea ipsa rerum condicione persona sublata veram praebere et sinceram propriae naturae speciem, certe eliciendi verbum, quippe quod vim habeat cum vi aut cum callididate extorquendi et tamquam cogendi, hoc loco significantius dicitur quam eiciendi.

emittere cum praepositione: IV, 692 'emittitur ex re.' Cum ablativo: IV, 502 'manibus manifesta suis emittere.' IV, 548 'foras emittimus ore.'

exoriri cum praepositione: I, 187 'e terra exorta.' II, 792 'multo proclivius exorientur candida de nullo quam nigro nata colore.' VI, 732 'exoriens penitus media ab regione diei.' Semel cum ablativo: I, 869 'quae terris exoriuntur.'

expellere cum praep. V, 50 'qui cuncta subegerit ex animoque expulerit dictis.' Eodem modo eademque significatione:

expuere II, 1041 'expuere ex animo rationem.'

exprimere semel cum praepositione, semel cum ablativo coniungitur: V, 487 'expressus salsus de corpore sudor.' IV, 548 'has igitur voces cum nostro corpore exprimimus.'

eripere cum praep. I, 218 'ex oculis res quaeque repente erepta periret.' Cum dativo personae: I, 1116 'tibi caeca nox iter eripiet.'

eructare III, 1010 'horriferos eructans faucibus aestus.'

erumpere Lucretius sive activo sive neutrali sensu usurpatum semper cum nudo ablativo coniungit: I, 162 'erumpere caelo.' I, 724 'faucibus eruptos ignis.' IV, 1107 'ubi se erupit nervis conlecta cupido.' V, 458 'terrae partibus erumpens.' V, 949 'erumpere campo.'

exsistere cum praep. II, 871 'vivos exsistere vermes stercore de taetro.'

exsolvere cum praep. I, 811 'vita e nervis exsolvatur.' III, 694 'salvas exsolvere sese e nervis omnibus.' Cum abl. I, 932 'artis religionum animum nodis exsolvere pergo.'

extollere cum praep. III, 1 'e tenebris tantis tam clarum extollere lumen.'

extrahere cum abl. III, 330 'animae naturam corpore toto extrahere haut facile est.'

evellere cum praep. III, 310 'e thuris glaebis evellere odorem haud facile est.'

evertere V, 163 'ab imo evertere summa.'

Dativus commodi vel incommodi exstat: VI, 1138 'exhausit civibus urbem.'

II.

§. 1. Verba cum 'ad' praepositione composita

vim verbis proximo capite tractatis contrariam accipiunt: etenim cum illa privativum ut ita dicam sensum prae se ferant et non incommode ad verborum 'deesse' vel 'abesse' vim referri possint, verba quae composita sunt cum 'ad' praepositione, quippe quae directionem ad aliquid significet, et ita quidem, ut contactus quasi quidam et coniunctio petatur, appropinquandi induunt et cohaerendi notionem. Ex qua ipsa indole aut dativum assumere possunt, ut appropinquandi vel coniungendi ratio magis generaliter indicetur, aut praepositionem, qua accuratius coniunctio exprimatur.

A c c e d e r e semel cum praepositione coniungitur: V, 1197 'omnis accedere ad aras.' Ad eandem potestatem redit adverbium 'huc', quod in coniunctione verborum, quae in formulam quasi quandam abiit quinquies I, 192, 215, 565, 753; I, 398 ita legitur: 'huc accedit uti.' Uno loco I, 927 'iuvat integros accedere fontes' Lucretius accusativum huic verbo adscripsit, quod etiam, quamvis rarius, apud optimos scriptores*) usu venit.

a c c i d e r e semel ubi non multum differt a simplici verbo praepositionem assumit: IV, 213 'aetheris ex oris in terrarum accidat oras.' Altero autem loco ubi praepositio legitur, tralate ea ita usurpata est ut exprimat, quid etiam ad aliquam rem addi debeat, ut plena praebeatur et ex omnibus partibus absoluta eius rei species: IV, 234 'quae poterit res accidere ad speciem quadrata.' Dativum huic verbo Lucretius, sicut omnes scriptores, accommodavit, ubi sermo est de rebus adversis homines afflictantibus aut omnino de rebus quae ex improviso nobis occurrunt:

*) cf. Drakenb. ad Liv. IX, 40, 19. Nipperd. ad Tac. Ann. XII, 31.

III, 838 'haud nobis quicquam accidere omnino poterit.' III, 862 'cui male possit accidere.' IV, 879 'animo nostro primum simulacra meandi accidere.' V, 98 'quam res nova miraque menti accidat exitium caeli.' Uno loco Lucretius, recedens ab usitato sermone, accusativum huic verbo adscripsit: praebetur quidem codice quadrato V, 607 'segetes stipulamque videmus accidere ex una scintilla incendia passim.' Oblongus habet 'accedere', eiusque corrector 'accendere', quae metro repugnant. Suo iure Lachmannus traditam lectionem defendit et in textum recepit, quoniam satis stabilita ea videtur esse loco Plautino Stich. 88: 'paternae vocis sonitus auris accidit.'*) Nec valde dissimile est, quod dicit noster IV, 566 'pars vocum non auris incidit ipsas' (de quo vide infra s. v. incidere), quoniam ratio praepositionum 'ad' et 'in' ad eandem fere redit potestatem. Et id quoque huc revocari licet, quo Accius bis usus est 'mensam accumbere' apud Nonium p. 415, 27 et 511, 17. Quae exempla satis mihi videntur transitivum accidendi verbi usum comprobare, quare variae editorum mutationes omnino supervacaneae sunt.

addere V, 33 'nunc addita navigiis sunt multa.' V, 1305 'belli terroribus addidit augmen.'

adesse I, 337 'id (sc. officium) in omni tempore adesset omnibus.' V, 1403 'vigilantibus hinc aderant solacia somni.'

adfigere IV, 384 'animi vitium hoc oculis adfigere noli.' IV, 389 'sidera aetheriis adfixa cavernis.' IV, 1130 'cupido adfixum (sc. verbum) cordi.' IV, 1234 'tenve locis quia non potis est adfigere adhaesum.' V, 1320 'morsibus adfixae (sc. leae) validis.'

adflare V, 567 'calidum membris adflare vaporem.'

adhibere cum praepositione: I, 51 'vacuas auris animumque sagacem — adhibe veram ad rationem.' Sic optime Lachmannus restituit locum, qui in codicibus plane corrupte ita scriptus est: 'ut vacuas auris semotum a curis adibe veram ad rationem.' cf. Lachm. comm. p. 20 sq. II, 1023 'nunc animum

*) cf. Hahn pag. 57.

nobis adhibe veram ad rationem.' Cum dativo gerundii: II, 855 'adhibere suum gignundis rebus odorem.'

adlidere IV, 295 'si quis prius arida quam sit creta persona adlidat pilaeve trabive.' IV, 568 'solidis adlisa' (sc. pars vocum.)

admiscere cum praepositione: I, 745 'admiscent in eorum corpus inane.' Dativus ter I, 369, 382, 655 occurrit in oratione 'admixtum rebus inane,' tum II, 467 'levibu' sunt aliunde admixta doloris corpora.' Duobus locis, quod mireris, 'in' praepositionem admittere videtur cum ablativo coniunctam, ita I, 569 'admixtum quoniam semel est in rebus inane,' V, 365 'admixtumst in rebus inane.' Sed praepositio hic non a significatione pendet, quam verbum compositione accepit, sed oratio 'admixtumst' ad eundem fere redit sensum atque inesse, quam notionem accuratius et certius definit et circumscribit. Quare cum notio inhaerendi vel versandi in aliqua re praevaleat, eodem modo atque haec ipsa verba construitur. Denique uno loco IV, 1239 'admiscetur muliebri semine semen' ablativus, quem dicimus instrumentalem, cum eo coniungitur, ubi praepositionis in verbo composito potestas omnis fere omissa est, et verbum propria simplicis verbi usurpatum est vi, quae est 'mischen, vermengen mit etwas.'

admovere VI, 901 'ad lumina linum admoveas.'

adnectere III, 691 'adnecti posse putandumst corporibus nostris.'

adportare V, 100 'ubi insolitam rem adportes auribus.'

apponere III, 373 'singula privis adposita.'

adsimulare II, 914 'ut totis animantibus adsimulentur.' II, 980 'totis mortalibus adsimulata.' VI, 189 'montibus adsimulata nubila.'

adsidere Lucretius semel cum praepositione 'propter' coniungit, in qua antiquiorem illam significationem localem servavit: IV, 1018 'fontem propter amoenum adsidet.'

adsistere cum praepositione: III, 957 'mors ad caput adstitit.' Cum dativo: I, 965 'quibus adsistas regionibus.'

adstare dativum admittit quem dicimus commodi vel incommodi: III, 1076 'certa quidem finis vitae mortalibus adstat.' Eadem potestas tertio casui est in insequenti verbo:

adsumere II, 1124 'plura sibi adsumunt.' Altero loco IV, 1083 ubi est 'cibus atque umor membris adsumitur intus' ablativum rectius statuemus, sive instrumentatis ille est, quod mihi verius videtur esse, sive localis cum adverbio 'intus' eodem modo coniunctus atque VI, 202 'fornacibus intus' vs. 798 'sedibus intus.'

attinere semper cum praepositione coniungitur: III, 850 'nil ad nos de nobis attinet ante qui fuimus.' IV, 30 'quod vementer ad has res attinet.'

attribuere semel coniungitur cum adverbio 'alio,' quod significat 'aliam in partem.' I, 681 'alio adtribui.' Lambinus legit 'alia,' quam suo iure Wakefieldus dicit 'correctionem cuiusdam maiorem perspicuitatem efficere studentis, sed inconsulto et infructuose.' Bis cum dativo: II, 836 'omnibus adtribuas sonitus et odores.' III, 242 'quarta quoque his igitur quaedam natura necessest adtribuatur.'

advenire VI, 166 'ad auris tardius adveniunt.'

advertere cum praepositione: III, 54 'advertunt animos ad religionem.' Altero loco oratio 'animum advertere,' quamquam verbum interpositum est, eandem vim eandemque structuram assumpsit, quam posterioribus temporibus habet, ubi in unam notionem in unumque vocabulum concrevit: est enim II, 125 'hoc etiam magis haec animum te advertere par est corpora.' Quae syntaxis apud optimos auctores non invenitur nisi in accusativo pronominis.

advolare IV, 313 'ad nos bis advolat.'

Quibus verbis adiungam 'circumdare', quod unum ex eis quae cum 'circum' composita sunt cum dativo constructum inveni, et quod utroque loco dativum assumit: VI, 1034 'aer omnibus est rebus circumdatus adpositusque.' I, 87 'cui simul infula virgineos circum data comptus — ex utraque pari malarum parte profusast.'

§. 2. Verba cum praepositione 'con' composita,

quippe quibus ipsa compositione notio coniunctionis et consociationis*) tributatur, ex hac significatione praeter praepositionem

*) cf. Varges Ueber Bedeutung und Geltung der lateinischen Partikel com in der Composition mit Verben, Progr. d. Gymn. Stettin 1846.

dativum admittunt. Verba autem, quae apud Lucretium hunc in modum constructa inveniuntur, haec sunt:

concurrere VI, 97 'concurrunt sublime volantes aetheriae nubes contra pugnantibu' ventis.'

conectere II, 704 'multaque conecti terrestria membra marinis.' Semel hoc verbum cum adverbio 'quoquam' coniungitur, quod cum proprie significet 'in aliquam partem' in eandem fere cum 'conecti' coniunctum sententiam abit ac 'cum aliqua re': II, 716 'conecti quoquam potuere.'

conferre cum praepositione 'ad' coniungitur: VI, 54 'conferre deorum cogit ad imperium res et concedere regnum', eadem fere significatione, qua alibi 'tribuere' vel quod additum est 'concedere' cum dativo usurpatur. Altero autem loco ubi dativum assumit, eam induit notionem ut sit 'rem contra rem collocare ita ut inter se comparari possint': II, 1166 'tempora temporibus praesentia confert praeteritis.'

confligere VI, 373 'confligunt hiemes aestatibus acres.'

coniungere bis praepositionem assumit: III, 159 'esse animam cum animo coniunctam.' V, 562 'ubi est coniuncta gravi cum corpore.' Dativus hisce locis invenitur: I, 449 'aut his coniuncta duabus rebus ea invenies aut horum eventa videbis.' II, 1004 'inde aliis aliud coniungit et efficit omnes res ut convertant.' Ita enim est in codicibus, quod Lachmannus, quem secuti sunt recentiores editores, quia non quadrare videbatur ad conexum rerumque condicionem, sic mutavit: 'inde aliis aliud coniungitur et fit ut omnes sqq. sed sagaciter Goebelius *) ostendit ab hoc poeta non alienum esse, in quo Lachmannus offendit, quod mors ea quae perimat restituere dicatur, quare nullo vocabulo mutato nisi in insequenti versu 'ita' in 'ut' versum ita legendum censeo ut supra scripsi. III, 577 'quoniam coniunctast causa duobus.' V, 563 'aer coniunctus terris.' V, 1010 'mulier coniuncta viro.' Holtzius p. 17 omnibus his locis mirum in modum ablativum tribuit, commotus nimirum uno loco, ubi sextus casus manifesto et sine discrepantia codicum exstat:

*) cf. Goebel quaestiones Lucretianae criticae etc. Salzburg 1857 p. 16.

II, 749 'nullo coniuncta colore.' Sane concedendum est ibi hanc structuram exstare, sed quoniam apud omnes omnium temporum scriptores dativus in hoc verbo construendo usitatissimus est, non video quare Lucretio ex uno peculiari exemplo inusitatam tribuamus syntaxin. Accedit quod alibi participium quidem 'coniunctus' cum ablativo consociatum reperitur*) (ita Cic. de or. I, 57, 243 'dicendi vis egregia summa festivitate et venustate coniuncta' cf. ib. I, 5, 17, legg. I, 2. Verg. Aen. X, 653). Sed reliquae verbi formae, quoad libros evolvi, ita non usurpantur. Atque illud quoque minus recte in suum usum convertit, quod etiam simplex verbum uno loco VI, 1067 cum ablativo coniungitur, nam hic procul dubio is est, quem instrumentalem dicimus. Ubi cum exstet: 'glutine materies taurino iungitur uno' gluten vinculum dicitur aut instrumentum, quo tigna trabesve conectuntur et cohaerent. Dativus autem in simplici verbo sine dubio exstat I, 713 'aëra iungentes igni.' cf. III, 80, 804 sq; IV, 430, 1079.

commiscere semel cum praepositione: IV, 276 'seque cum eo commiscuit igni.' Ceteris locis dativum assumit: I, 822 'aliis alioque modo commixta moventur.' IV, 1250 'ut semina possint seminibus commisceri.' V, 503 'nec liquidum corpus turbantibus aeris auris commiscet.' VI, 1157 'gemitu**) commixta querella.' Holtzius p. 19 his quoque locis ablativum statuit, quod quodammodo defendi potest, quoniam omnia exempla ita comparata sunt, ut verbum commiscendi praepositionis potestatem omisisse et meram miscendi notionem servasse videatur, ubi ablativus instrumentalis suum habet locum.***) Sed dativum potius ut statuam id me movet, quod verbi significationem revocari licet ad 'commiscendo addere', cui notioni unus dativus aptus est.

contendere cum dativo: IV, 1110 'quid enim contendat hirundo cycnis.'

convenire cum dativo iunctum reperitur quia significat 'aptum esse alicui rei': IV, 706 'non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes.' IV, 1083 'ut cava conveniant plenis.' Eodem

*) cf. Ellendt ad Cic. de or. III, 15, 58.

**) De hac dativi forma vid. R. Kuehner Gramm. I, pag. 244.

***) cf. supra s. v. admiscere.

modo IV, 1251 'crassaque conveniant liquidis' constructum est, ubi est 'se coniungere.'

Sub finem huius paragraphi ea verba colligere liceat, quae dativum commodi vel incommodi assumunt:

concedere = committere III, 960 'gnatis concede' (sc. omnia). Codices habent 'magnis,' quod haud dubie corruptum iam Marullo offensioni erat qui scripsit 'iam aliis.' Sed Lachmanno cum ne hoc quidem rerum conexui satis apte dictum videretur, ipse coniecit 'dignis' scribendum esse. Mihi magis placet id quod Bernaysius in textum recepit 'gnatis,' praesertim cum in superioribus sermo sit de senibus vitam relinquentibus qui monentur, ut senectutem aequo animo ferant committantque vitae munera posterioribus. IV, 1176 'quam mortali concedere par est.' IV, 1183 'humanis concedere rebus.' V, 1356 'muliebribus manibus concedere.' V, 1369 'locum concedere cultis.'

conciliare II, 863 'cui possint incommoda conciliari.'

committere = tribuere, commendare V, 779 'incertis committere ventis.' V, 1363 'stirpis committere ramis.'

corripere V, 247 'illud in his rebus ne corripuisse rearis me mihi.' Vox hic satis praegnanter usurpata et cum dativo personae coniuncta est: cum enim proprie vim celeriter comprehendendi habeat, cum dativo personae — similiter ac sibi assumere — eam accipit notionem ut sit 'sententiam aliquam haud ita certam et explanatam amplecti.'

consciscere III, 81 'ut sibi consciscerent maerenti pectore letum.'

contingere IV, 1110 'cum sibi quid cupiant ipsi contingere quaerunt.' VI, 710 'contigit ei.'

§. 3. Verba quae cum 'in' praepositione composita sunt

triplicem apud Lucretium admittunt structuram: coniunguntur enim aut cum praepositione aut cum dativo aut cum accusativo. Discrimen autem quod intercedit inter hasce constructiones idem fere est, quod in prooemio in universum, quoad fieri poterat, indicavimus et in verbis iam tractatis observavimus. Lucretius autem in his verbis construendis dativo campum satis amplum longeque

patentem concessit. E magna enim verborum copia quae huc pertinent non amplius quam novem praepositionem patiuntur, et ita quidem, ut ab his quoque dativus non solum non abhorreat, verum etiam saepius cum eo coniungantur quam cum praepositione. Denique haud raro accusativum haec verba assumunt nullo fere discrimine inter hunc et tertium casum intercedente. An investigaverit quispiam subtilem quandam differentiam inter 'auris incidit ipsas,' quod VI, 566, et 'corporibus rerum inciderunt,' quod VI, 351 exstat? Prorsus autem turbata videtur esse structura verbi insinuandi, cum modo cum dativo, modo cum praepositione, modo cum accusativo; modo activo, modo neutro sensu constructum inveniatur. Sed haec suo loco, iam singula verba enumerabo:

incutere semper cum dativo: I, 19 omnibus incutiens blandum amorem.' I, 924 'incussit suavem mi — amorem.' III, 832 'membris incussam cretam.' Idem verbum in codicibus traditum est IV, 1210 'mortis metus iis incusserat acer.' Sed tolerari vix poterit, quoniam incutere neutro sensu adhibitum alibi non legitur, quamquam Gronovius*) hunc usum defendere conatur. Quare rectius cum Lachmanno legemus 'incesserat,' quod a litteris traditis non multum recedit et sensum huic loco aptum optime exprimit. De dativo autem cum hoc verbo coniuncto quamvis apud Lucretium — casu nimirum — non inveniatur, dubitari non potest ex analogia similium verborum, et cum e. g. Sallustius Cat. XXXI, 3 dicat 'quibus belli timor insolitus incesserat;' Caesar B. C. III, 74 'exercitui omni tantus incessit ex incommodo dolor.'

incidere ubi locus manifesto et aperte indicatur praepositionem assumit: VI, 145 'e nube in nubem vis incidit ardens.' VI, 296 'cum ventus incidit in calidam nubem.' Nec multum diverso sensu dativus invenitur: II, 227 'incidere ex supero levioribus.' II, 240 'levioribus incidere umquam.' IV, 351 'corporibus rerum inciderunt.' VI, 1172 'multi praecipites lymphis putealibus alte inciderunt.' Ac ne accusativus quidem ab hoc verbo abhorret apud Lucretium, exhibetur sane omnibus libris manu-

*) cf. Gronovius observationes II. 7 p. 260.

scriptis IV, 566 'non auris incidit ipsas.' Quod tamen cum abhorrere videretur Lambino a Latino sermone, mutavit ille in 'accidit.' Cui Lachmannus in commentario p. 242 quodammodo assentitur, quamquam in textu traditam retinuit lectionem. Et recte quidem illum fecisse mihi persuasi. Primum enim ratio vel relatio, quae verbo 'in' praepositione tribuitur, non magis impedit, quominus hoc verbum transitive quod dicimus usurpetur, quam ea ratio, quam verbum 'ad' praepositione assumit: quare si 'accidere' V, 607 sine ulla dubitatione cum accusativo constructum esse comprobamus, quid obstat, quominus de hoc verbo idem iudicemus? Certe Lachmannus testimoniis confirmat alia verba cum 'in' praepositione composita eadem ratione constructa inveniri (apud nostrum I, 326 'mare quae impendent' de quo vide Lachm. comm. p. 374). Accedit quod Apuleium praepositione omissa*) ita dixisse constat, et de Terentio idem testatur scholiastes ad Theb. VIII, 1, quamquam eo loco, ad quem ille alludit, Phorm. 175 'ego in eum incidi infelix locum' libri manuscripti omnes praepositionem tuentur.

incumbere cum praepositione: V, 1095 'in ramos incumbens arboris arbor.' Cum dativo: VI, 1141 'incubuit tandem populo Pandionis omni.'

incurrere I, 287 'molibus incurrit validis cum viribus amnis.'

induere uno loco ubi apud Lucretium legitur cum praepositione coniungitur: IV, 814 'nos in fraudem induimus frustraminis ipsi.' Nam II, 734 non recte Lambinus hanc vocem restituit, cum versum sic progredientem efficeret: 'quae sunt induta colorem.' Magis placet quod Lachmannus scripsit: 'quo sunt imbuta colore.' Codices habent 'quo sunt imbuta colose.'

inesse ter cum praepositione iungitur: I, 173 'in rebus inest secreta facultas.' III, 384 'nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse,' quod eisdem verbis repetitur V, 130. V, 542 'nec — in pedibus pondus sentimus inesse.' Ceteri autem loci, ubi hoc verbum etiam legitur, magnam movent dubitationem. Etenim cum

*) cf. Drakenborchii ad Liv. II, 30, 13 adn.

omnes omnium temporum scriptores Romani hoc verbum aut cum dativo aut cum praepositione coniungant, apud Lucretium duo inveniuntur exempla, ubi manifesto et sine codicum discrepantia ablativus exstat: I, 590 'maculas generalis corpore inesse.' III, 632 'toto sentimus corpore inesse vitalem sensum.'*) Ceteris locis III, 1052 'pondus inesse animo' et VI, 984 'varii sensus animantibus insunt,' ubi ex forma ipsa diiudicari non potest, tertius an sextus casus accipiendus sit, rectius dativum statuemus, ut usitata evadat huius verbi syntaxis, quamquam argumentis Holtzium refutare non possum, qui his quoque locis ablativum adscripsit.

inferre semper cum dativo: III, 678 'si nobis inferri solitast animi vivata potestas.' V, 974 'dum rosea face sol inferret lumina caelo.' V, 1244 'hostibus intulerat ignem.'

increpare ea significatione qua valet 'obiurgare' dativum assumit: III, 930 'hoc alicui nostrum sic increpet ipsa.'

inhiare cum 'in' praepositione coniungitur, cum significet 'cupide aliquem intueri:' I, 36 'inhians in te.'

inicere III, 378 'nobis iniecta' (sc. corpora.)

inlidere IV, 1072 de amantibus dicitur, qui tam cupide inter se osculantur, ut labellis tamquam cohaereant, et cum dativo coniungitur 'dentes inlidunt saepe labellis.'

immiscere I, 877 'ut omnibus omnis res putet inmixtas rebus latitare.' III, 392 'corporibus nostris inmixta.'

immittere semel cum praepositione, semel cum dativo coniungitur: VI, 441 'in aquam subito totum se inmittit.' IV, 713 'semina cum sunt oculis inmissa.'

innasci cum dativo: II, 286 'est nobis innata potestas.' Altero loco III, 790 'innasci quavis in parte soleret' quod iteratur V, 136, hoc verbum 'in' praepositionem cum ablativo coniunctam assumit. Quod cum proprie ab his verbis abhorreat, videre licet vel plurimum valere ad structuram significationem, quam verbum compositione**) induat, neque a praepositionibus solis cum verbis

*) Alia omissae praepositionis exempla, ubi alii scriptores eam adhibent vide apud Holtzium p. 9 sq.

**) cf. Lehmann p. 3 ubi rectissime Zumptium refutat (gramm. §. 415.) Hahn p. 2.

coniunctis construendi rationem pendere; itaque cum 'innasci' his duobus locis idem sit atque 'oriri,' sine offensione 'in' praepositionem accipit cum ablativo coniunctam.

imponere III, 888 'ignibus impositum calidis torrescere flammis.' V, 543 'imposita nobis pondera.'

irrumpere II, 306 'neque in omne unde coorta queat vis nova inrumpere.'

insinuare triplicem admittit structuram nullo discrimine intercedente, coniungitur enim aut cum praepositione aut cum dativo aut cum accusativo. Praepositionem autem aut dativum ubi assumit, semper activo sensu adhibitum est, sed accusativum ubi patitur, modo activum modo neutralem*) sensum habet. 1) Cum praepositione: III, 669 'in corpus nascentibus insinuet se.' IV, 523 'in auris insinuata.' VI, 234 'insinuatus in ipsum' (sc. calor in vas.) VI, 802 'odor insinuatur quam facile in cerebrum.' 2) Cum dativo: I, 113 'an contra nascentibus insinuetur.' II, 684 'sapor insinuatur sensibus.' III, 720 'extrinsecus insinuari vermibus.' III, 727 'quasi corporibus perfectis insinuentur' quod iterum occurrit III, 836. 3) Cum accusativo: a. activo sensu: I, 116 'an pecudes alias divinitus insinuet se.' IV, 1023 'quibus aetatis freta primitus insinuatur semen.' V, 44 'quae pericula tumst ingratis insinuandum.' b. neutrali sensu: I, 409 'caecasque tenebras insinuare.' V, 73 'quibus ille modis divum metus insinuarit pectora.'

inserere semper cum dativo: I, 901 'non est lignis tamen insitus ignis.' V, 182 'notities hominum dis unde est insita primum.' V, 329 'aeternis famae monimentis insita.' V, 538 'quibus insita vivit.' V, 1163 'unde etiam nunc est mortalibus insitus horror.'

insidere III, 901 'nec tibi earum iam desiderium super insidet una.'

instare cum dativo: I, 65 'horribili super aspectu mortali-

*) De ratione qua verba activo et neutro sensu promiscue apud scriptores Latinos usurpantur vid. R. Kuehner gramm. II. § 28. Exempla ex Lucretii carminibus collegit Holtzius p. 118 sq.

bus instans.' Altero loco II, 113 'imago ante oculos — instat,' ubi praepositionem 'ante' assumit, pro simplici 'stare' positum est.

insultare verbo proprio sensu dicto Lucretius dativum accommodavit III, 1030 'equis insultans.'

intendere IV, 76 'magnis intenta theatris' et iterum VI, 109.

intorquere VI, 125 'procella nubibus intorsit sese.'

invadere eadem fere significatione intransitive et transitive apud Lucretium usurpatum reperitur. Praepositionem enim patitur VI, 659 (dolor) 'oculos invadit in ipsos.' Accusativum autem assumit VI, 175 'ventus ubi invasit nubem.'

involvere VI, 443 'ut involvat venti se nubibus ipse vertex.' Altero autem loco ablativum, quem dicimus instrumentalem, hoc verbum accepisse rectius iudicabimus, quamvis quodammodo dativus quoque defendi possit: V, 970 'circum se foliis ac frondibus involventes.'

Unum verbum cum 'in' praepositione compositum restat, quod II, 1125 'in venas cibus omnis inditur' in mss. cum 'in' praepositione coniunctum reperitur. Sed Lucretii genere dicendi accuratius investigato cum Goebelio*) fecerim, qui hoc verbum poetae abiudicavit et hoc loco scribendum censet 'diditur.' Etenim in carminibus Lucretianis paulo diligentius versatum fugere non potest poetam nostrum vel maxime amare certos quosdam verborum circuitus certasque orationes, quae in formulas quasi quasdam abierunt, quod etiam cadit in illud 'in venas cibus omnis diditur' sic II, 1136 cf. III, 701, 705; IV, 627; V, 268, quare nostro quoque loco 'diditur' contra codicum auctoritatem legendum esse censeo, mutatio autem haud ita difficilis in libris quales sunt Lucretii carminum non fugienda est.

§ 4. Verba cum 'inter' praepositione composita

duo inveni, quae ad hanc quaestionem pertinerent, quorum unum 'intervomere' iteratam accipit praepositionem: VI, 894 'dulcis inter salsas intervomit undas.' Alterum autem in transitivam abiit

---

*) Goebel quaestiones Lucretianae criticae etc., Salzburg 1857 p. 18.

vim et cum accusativo coniungitur: I, 354 'inter saepta meant voces.' Simili modo Plinius V, 30, 33: 'longeque clarissimum Asiae Pergamum, quod intermeat Selinus'.

§ 5. Verba cum 'ob' praepositione composita

exprimunt eam inter duas res appropinquandi rationem, quae fit cum res contra rem collocatur. Haec autem, quam dixi, generalis appropinquandi notio, quae in iis inest, aptissima est quae dativum accipiat. Itaque Lucretius ad omnia verba quae huc pertinent tertium casum accommodat, excepto uno 'obversare', quod duobus locis ubi legitur praepositionem assumit: VI, 975 'obversantur ante oculos'. IV, 1054 'nomen dulce obversatur ad auris'. Cetera verba, quae omnia dativum assumunt, haec sunt:

occurrere III, 524 'falsae rationi vera videtur res occurrere'. IV, 780 'nobis occurrit imago.' VI, 32 'quibus e portis occurri cuique deceret'.

offere III, 1039 'leto caput obvius optulit ipse'. V, 957 'quod cuique obtulerat praedae fortuna'.

obicere V, 753 'obiciens caecum radiis ardentibus orbem.'

obniti IV, 435 'obnitier undae'.

obsistere I, 106 'minis obsistere vatum'. VI, 227 'cui nil obsistere possit.' VI, 331 'nec facilest tali naturae obsistere quicquam.'

obstare I, 289 'quidquid fluctibus obstat.' II, 88 'neque quicquam a tergo ibus obstet.' Sic optime locum restituit Abrahamus Preigerus, amicus Havercampi, cui assentiuntur Lachmannus Bernaysius Munroius. Codices habent corrupte 'a tergibus.' IV, 1142 'nisi tute tibi obvius obstes.'

obstruere V, 752 'altum caput obstruere ei.' Dativum commodi vel incommodi assumit:

obesse V, 175 'cui veteres (sc. res) obsunt.' VI, 71 'tibi numina sancta oberunt.'

§ 6. Verba cum 'prae' praepositione composita

ad vim referre licet verbi 'praeesse,' vel ad causativam quae est 'facere ut quis praesit,' itaque plerumque, sicut hoc ipsum verbum, dativum assumunt. Apud Lucretium autem qui dativi cum his

verbis coniuncti reperiuntur, omnes fere ad id genus revocandi sunt quod dicimus commodi vel incommodi, ita:

praebere II, 66 'tu te dictis praebere memento.' II, 597 'unde etiam fluvios frondes et pabula laeta montivago generi possit praebere ferarum.' IV, 869 'stomacho praebent incendia nostro.' V, 989 pabula viva feris praebebat.'

praemonstrare VI, 93 'mihi spatium praemonstra.'

praepandere I, 144 'clara tuae possim praepandere lumina menti.'

praemetuere III, 1017 'mens sibi praemetuens.'

praecludere I, 975 'tibi effugium praecludit.' III, 522 'effugium praecludere eunti.' V, 373 'haud igitur leti praeclusa est ianua caelo.' Ex quibus exemplis Goebelius nimis argute et spinose efficere sibi videtur (mus. rhen. XV. p. 418) hoc verbum semper cum dativo coniungi necesse esse, quare I, 321 hunc casum contra codicum auctoritatem restituit sic scribens 'praeclusit speciem natura videnti.' Librorum manuscriptorum lectio haec est: 'invida praecluset speciem natura videndi.' Iam apparet 'speciem videndi' nullam esse, quod Bentleius perspexit, quare mutatio facienda est. Goebelius igitur, cum rationem verbi censeat dativum necessario postulare quasi supplementum quod omitti non possit, scripsit pro 'videndi' 'videnti.' Sed neque ex tribus exemplis Lucretianis effici potest hunc casum semper necessarium esse, nec video cur ratio verbi ipsius eum necessario flagitet. Atque ne ipse quidem hic dativus, quem doctus ille vir effecit, plane quadrare mihi videtur ad sententiarum nexum, cum natura dicatur nobis videndi facultatem non tribuisse. Quam sententiam optime Lachmannus reddidisse mihi videtur scribendo 'invidia praeclusit spatium natura videndi.'

Verba autem quae ex ratione praepositionis, quacum composita sunt, et ex significatione inde accepta construendi rationem petunt, duo inveni: praestare et praecedere, quorum illud semper intransitive i. e. cum dativo aut absolute usurpatur, alterum uno loco ubi legitur accusativum admittit.*)

*) Vulgaris haec est utriusque verbi structura cf. Fr. Ellendt lat. gramm. ed. M. Seyffert prooem. p. 6 sq.

praestare I, 208 'incultis praestare videmus culta loca.' I, 358 'alias aliis praestare videmus pondere res.'

praecedere IV, 835 'linguae praecessit origo sermonem' cuius enuntiationis haec est sententia: lingua, quae sonitus et voces efficit et modulatur, prius homini data est quam sermo exoreretur, quo nunc homines colloquentes inter se utuntur.

§ 7. Verba cum 'pro' praepositione composita
eam induunt notionem ut significent rem verbi actione ita in promptu esse, ut sub conspectu quasi posita sit. Cum autem verba, quae ad rem quam nunc tractamus pertinent, meram servaverint apud Lucretium loci significationem, semper praepositionem cuique loco accommodatam accipiunt:

procumbere I, 291 'procumbere quam libet in partem.'

procurrere I, 969 'si quis procurrat ad oras ultimus extremas.'

proferre I, 207 'in teneras possint proferrier auras.'

prolabi VI, 574 'prolapsa in pondera.'

prorumpere active usurpatur VI, 436 'prorumpitur in mare venti vis.'

protrahere IV, 1181 'omnia possis protrahere in lucem.' V, 1029 'ipsa videtur protrahere ad gestum pueros infantia linguae.' V, 1452 'unum quicquid — protrahit aetas in medium.'

provolvere VI, 553 'gleba e terra provolvitur ingens in lacunas.'

Dativi qui in verbis cum 'pro' compositis apparent revocandi sunt ad dativum commodi vel incommodi, ita:

prodesse I, 93 'nec miserae prodesse quibat.' II, 39 'animo prodesse putandum.'

profundere IV, 928 'ne ventis verba profundam.'

promittere I, 410 'hoc tibi de plano possum promittere Memmi.'

proponere III, 183 'sibi mens fieri proponit.' III, 625 'nec ratione alia nosmet proponere nobis possumus.' III, 877 'sibi cum proponit.'

§ 8. Verbis cum 'sub' praepositione compositis generalis est appropinquandi notio communis eis quae cum praepositionibus 'ad' et 'in' composita sunt. Sed ut inter illa subtile quoddam significationis intercedit discrimen, quod ex indole praepositionum proficiscitur, ita ne haec quidem omnibus ex partibus cum illis congruunt. Hac enim de qua agitur praepositione appropinquandi significatio ita definitur, ut motus paulatim fieri dicatur furtimque et latenter. Structura autem ipsa cum hoc subtili significationis discrimine nihil mutetur, haec verba, sicut illa, aut praepositionem aut dativum admittunt. Atque in eo quoque congruunt, quod Lucretius dativum multo saepius adhibuit quam praepositionem: e tredecim enim verbis quae huc pertinent undecim cum dativo coniunguntur, cum praepositionibus autem haec duo:

succedere III, 607 'supera succedere fauces.' IV, 139 'solem succedere praeter' i. e. praeter solem praelabi. V, 1121 'ad summum succedere honorem.' V, 1368 'in montem succedere silvas cogebant.' Ac ne dativus quidem ab hoc verbo proprio sensu usurpato prorsus abhorret, quod testatur V, 268 'simul ac primum nubes succedere soli coepere.' Quo loco cum de nubibus dicatur, quae subter solem praeterlabunter eumque inumbrant, apparet eadem de re hoc loco agi, quae supra IV, 139 eodem verbo expressa est addita praepositione 'praeter.' Discrimen autem inter duas has elocutiones nullum cernitur.

subsilire II, 191 'subsiliunt ignes ad tecta.'

Reliquis verbis, ut dixi, dativum Lucretius accommodavit, sunt autem haec:

succurrere V, 763 'cur aliud nequeat succurrere lunae corpus.' Memorabilis est locus quod ex paucis est, ubi propria huius verbi vis servata est. Cum enim plerumque eam in vim abierit, ut sit 'currendo alicui auxilio esse,' hic et apud Varronem L. L. V, 8 § 48 'pagus Succusanus, quod succurrit Carinis' est 'succedere' vel 'subvehi' propria significatione = sich unter etwas schieben, unter etwas hinlaufen.

subdere IV, 445 'oculo manus uni subdita.' V, 101 'nec tamen hanc possis oculorum subdere visu.'

subesse II, 128 'tales turbae motus quoque materiai significant clandestinos caecosque subesse.' III, 284 'atque aliis aliud subsit magis emineatque.' III, 871 'atque subesse caecum aliquem cordi stimulum.'

subiungere II, 862 'immortalia si volumus subiungere rebus fundamenta.' III, 421 'utrumque uni subiungas nomen.'

subsidere semel cum dativo legitur obscoeno sensu quo idem est ac 'maritari, marem pati:' IV, 1190 'equae maribus subsidere possunt.'

substernere IV, 409 'aequora substrata aetheriis ingentibus oris.'

Dativi commodi vel incommodi hisce exemplis exstant:

sufficere II, 108 'aëra rarum sufficiunt nobis et splendida lumina solis.'

summittere I, 8 'tibi suavis daedala tellus summittit flores.' IV, 950 'poplitesque cubanti saepe tamen summittuntur.' VI, 818 'alitibus summittere debent mortiferam vim.'

suppeditare bis neutrali, ter activo sensu usurpatum assumit dativum: I, 597 'materies ut suppeditet rebus reparandis.' VI, 666 'toti caelo terraeque putandumst — satis omnia suppeditare.' — II, 26 'lumina nocturnis ut suppeditentur.' III, 10 'patria nobis suppeditas praecepta.' VI, 1064 'ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur.'

subsistere I, 1079 'ulli subsistere debet.' II, 236 'nulli subsistere rei.'

Restat autem locus, ubi verbum suffundendi in mss. cum accusativo obiecti constructum invenitur, et ita quidem, ut dativus subaudiendus sit: III, 304 'suffundens caecae caliginis umbram.' In codicibus quod legitur 'effundens' quippe quod metro repugnet, recte iam ab Italis mutatum est in 'suffundens,' et ad totam enuntiationem subaudiendus est dativus 'ei.' Sed recte Lachmannus videtur, ut Lucretii constantia servaretur generis dicendi, scripsisse pro 'umbram' ablativum 'umbra,' ut structura hunc in modum comparata sit: 'suffundere aliquem aliqua re.' Eadem enim syntaxis omnibus locis, ubi hoc verbum apud Lucretium

legitur, invenitur ut III, 39 'omnia suffundens mortis nigrore,' similiter V, 482; VI, 479, 1144. Quare quamvis illam alteram structuram,*) cuius hoc est schema 'suffundere alicui aliquid' tolerari posse non negaverim, praeferenda videtur Lachmanni emendatio satis facilis, praesertim cum in fine versus usu veniat.

*) Unum exemplum quoad libros evolvi citatum inveni in Forcell. indice verborum: Petronii frg. p. 678 (ed. Burm.) 'capiti suffundere costum.'

III.

Tertio loco disserere volui de verbis intransitivis, quae cum praepositionibus quibusdam composita in transitivam abeunt notionem et quartum casum accipiunt. Quae verba aut motum significant, ut ire vadere volare, aut statum e priore motu profectum, ut iacere stare. Praepositionum autem, quibuscum haec verba componuntur, frequentissimae hae sunt: circum per praeter trans super. Neque vero aliae praepositiones cum verbis intransitivis compositae ab hoc quem diximus usu abhorrent; ac ne eae quidem, quae cum ablativo coniunguntur hanc structuram plane respuunt, quamquam apud Lucretium haud ita saepe occurrunt. Prorsus autem recte haec verba transitivam accipere potestatem dici ea demonstrant exempla, quibus in passiva forma nominativus praebetur ex accusativo formae activae profectus e. g. mortem obire — morte obita (I, 135), decurrere lumen vitae — lumine decurso vitae (III, 1040). Sed ut ne classici quidem qui dicuntur in hac re semper sibi constant, sic Lucretius quoque nonnullis verbis praeter accusativum praepositionem adscribit, eorumque servat primariam vim. In tribus autem verbis dativum quoque nullo fere discrimine intercedente usurpavit, quae quoniam supra tractata sunt hoc loco omittam et ea enumerabo de singulisque disputabo, quae accusativum aut praepositionem iteratam patiuntur, et ita quidem hac in re versabor, ut, sicuti in prioribus quoque, singula verba disponam ex ordine praepositionum quibuscum composita sunt.

adire semper accusativum assumit: II, 171 'mortalis quae suadet adire.' V, 614 'brumalis adeat flexus.' V, 1227 'divom pacem votis adit.' VI, 75 'delubra deum — adibis.'

ascendere VI, 469 'montis cum ascendimus altos.' Eodemque modo

conscendere construitur VI, 47 'insignem conscendere currum.' Altero autem loco intransitive usurpatum est V, 1295 'in equi conscendere costas.'

decurrere bis apud Lucretium transitive legitur: IV, 1188 'spatium decurrere amoris.' III, 1040 'ipse Epicurus iit decurso lumine vitae.' Sic enim legendum esse censeo cum Lachmanno et Bernaysio pro 'obiit' quod codicibus traditum metro repugnat.*) Reliquis autem locis (II, 370; III, 311; IV, 702; V, 1261) praepositionem 'ad' aut 'in' poeta accommodavit, in quibus constructionibus differentia est manifesta. Praepositione enim apposita finis indicatur, quo actio verbi spectat, veluti cum exstat II, 370 'ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis.' At si accusativum hoc verbum assumit, tropice dicitur pro 'decurrendo finire' ut nos dicimus ablaufen vel durchlaufen.

escendere V, 1299 'falsiferos escendere currus.'

impendere proprio sensu usurpatum ubi significat herüberhangen Lucretius cum accusativo coniunxit: I, 326 'mare quae (sc. saxa) impendent.' Nec haerendum est in hac structura,**) cum expressis verbis Diomedes p. 305 eam probet. Quare sine causa Bentleius Terent. Phorm. 180, ubi libri, quibuscum Donatus consentit, exhibent 'ita nunc inparatum subito tanta te impendent mala' offendit; reperitur etiam quartus casus apud Lucilium vs. 98 'ut quae res me impendeat agatur.'

ingredi I, 82 'viamque indugredi sceleris.' V, 55 'cuius ego ingressus vestigia.' Cicero hanc vocem, praeterquam quod item transitive usurpat, cum praepositione plerumque coniungit. cf. Augustin p. 16.

inire Lucretius semper transitive usurpat: I, 82 'impia rationis inire elementa.' I, 638 'init proelia.' III, 679 'vitae cum limen inimus.' III, 982 'nec Tityon volucres ineunt.' IV, 338 'aer ater init oculos.'

---

*) cf. quae Lachmannus ad locum adnotavit, comm. p. 206.

**) cf. supra s. v. incidere et Lachmanni adn. ad VI, 489.

insistere Lucretius I, 406 'instituerunt vestigia certa viai tralata significatione, sicut etiam classici dicunt 'insistere munus negotium rationem' cum accusativo coniunxit. Ubicunque autem propria servata est notio, aut dativum aut praepositionem hoc verbum assumere videtur.

Eadem ratio usu venit in verbo intrandi quod IV, 658 'caulas intrare palati' transitivo sensu positum est.

In obeundi verbo Lucretius analogiam latius propagasse videtur, cum ei accusativum non ita solum accommodaverit, ut vox in tralatam vim abiret, sed etiam tum, cum loci significatio manifesto servata est, ut IV, 438 'quae demersa liquorem obeunt. Ceteris autem locis accusativus optime se habet: IV, 962 'in somnis eadem videmur obire' h. e. easdem res in somnis tractare atque vigilantes. IV, 964 'proelia obire.' IV, 1013 'mortem obeunt' quae oratio passive ita legitur 'morte obita' I, 135 et IV, 732. Atque etiam 'obire' mortis vocabulo non addito ex frequenti harum vocum coniunctione eam vim accepit ut esset 'mori' ita V, 773 'offecto lumine obire.' V, 1418 'ut letum obiret.'

Aliud etiam verbum cum 'ob' praepositione compositum hoc loco tractare liceat, quamvis ad hanc quam nunc tractamus rem proprie non pertineat. Verbum enim officiendi, quamquam neque motum neque statum inde profectum significat, Lucretius recedens a vulgari genere dicendi et a ratione huic verbo praepositione tributa semper transitive usurpavit, ita II, 156 'qua propter simul inter se retrahunter et extra officiuntur.' IV, 761 'corporis offecti sensus.' 773 'offecto lumine.' Quod vero Lachmannus, quem sequitur Bernaysius, coniectura restituit VI, 755 'sed natura loci vi ibus officit ipsa suapte' (codices praebent corrupte: loci opus efficit,) non equidem affirmaverim tolerari non posse, sed magnam movet dubitationem. Violatur enim hac, quam Lachmannus statuit, lectione elisionis lex, quam L. Muellerus observavit et in libro de re metrica conscripto primam constituit,*) 'ut non possint

*) cf. L. Muelleri de re metrica poetarum Latinorum praeter Plautum et Terentium libri VII, Lips. 1861 p. 284.

monosyllaba longa aut media elidi in brevi, nisi quae sint indeclinabilia aut flexione formata aliena a legitimis modulis, neque umquam apud dactylicos tota verba absorbeantur elisione.' Quo accedit quod 'officere' quod Lachmannus pro 'efficere' restituit, tribus locis quos modo citavi accusativum assumit, cum huic uni loco Lachmanni coniectura dativus tribuatur — quamquam hoc levius est, quoniam haec apud alios scriptores usitata est huius verbi syntaxis. Vel maxime autem arridet hoc ipsum 'officere,' quippe quod sententiarum conexui certe aptissimum sit. Quare hoc acceperim, sed quid ad versum explendum adiciendum sit certo dici nequit. Mihi nunc in promptu non est, quod ad litteras traditas prope accedat: quod ad grammaticam et metricam rationem quodque ad sensum attinet, omnia recte sese haberent, si legeremus omissa voce 'vi' 'loci ibus officit,' nam in hiatu non haerendum est, quoniam caesurae vi potestateque satis excusatur. Quem si quis removere vult, legat e. g. 'loci procul officit' aut 'loci probet officitque ipsa suapte' vel tale aliquid.*) Ceterum idem verbum uno loco restituendum esse persuasum habeo, ubi codices et editiones praebent 'efficere.' I, 977 vulgo sic exhibetur 'nam sive est aliquid quod probeatque efficiatque, quo minu' quo missum est veniat finique locet se.' Ego pro 'efficiat' scribendum censeo cum Briegero (philol. XXIII p. 635) 'officiat;' efficiendi enim verbum cum particula 'quo minus' non coniungitur, verba autem impediendi saepe bina iuxta collocata inveniuntur cf. II, 786; I, 780; II, 280, 794; V, 716.

Amplissimum verborum intransitivorum campum quae compositione in transitivam abeunt vim, ea apud Lucretium obtinent verba, quae cum 'per' praepositione composita sunt. Exstant autem haec:

peragrare Lucretius semper cum accusativo spatii quod quis permetitur coniungit: I, 74 'omne inmensum peragravit.' I, 926 'avia Pieridum peragro loca.' II, 355 'viridis saltus orbata peragrans.' II, 676 'cetera consimili mentis ratione per-

---

*) In Munroi coniectura quae est 'sed natura loci ope sufficit ipsa suapte' non satis apparet quid sit illud 'ope sufficere.'

agrans' tralatam habet significationem = illustrare, contemplari.

percurrere I, 273 'percurrens turbine campos.' I, 1003 'quod (sc. spatium) neque clara suo percurrere fulmina cursu possint.' IV, 586 et iterum V, 1405 'unco saepe labro calmos percurrit.' V, 1219 'magnum percurrunt murmura caelum' quod iteratur VI, 288. Uno loco VI, 668 'per mare ac terras percurrere' praepositio invenitur. Discrimen autem quod intercedit inter has duas elocutiones id est, ut praepositione addita amplum significetur et paene immensum spatium, per quod motus de quo agitur patet; accusativus autem nude positus rem simpliciter indicat, ad quam actio verbi spectat.

perflare duobus locis ubi legitur accusativum assumit: VI, 132 'venti nubila perflant.' VI, 136 'silvam cum flamina perflant.' Eodem modo

perfluctuare III, 719 'timidos perfluctuat artus.' Primarium autem verbum, unde hoc frequentativum quod dicimus derivatum est, Lucretius intransitive adhibet: priore loco II, 392 praepositionem ei adscripsit 'per colum vina videmus perfluere,' altero autem idem valet ac diffluere zerfliessen: III, 935 'commoda perfluere.'

perlabi semel accusativum patitur: V, 762 'rigidas coni perlabitur umbras.' Reliquis autem locis sine discrimine significationis praepositio adhibita est: IV, 246 'per nostras acies perlabitur omnis.' V, 764 supra solis perlabier orbem.' Denique finis qui appetitur praepositione 'ad' exprimitur: IV, 355 'nec ad nostras acies perlabitur ictus.'

Atque ratio prorsus eadem usu venit in insequenti verbo permanare, quod semel cum accusativo legitur: I, 494 'permanat calor argentum.' Cum praepositionibus hisce locis invenitur a) cum 'per:' II, 397 'per cuiusque foramina permanare.' III, 697 'permanare animam nobis per membra.' IV, 196 'permanare per aeris intervallum.' b) cum 'in:' I, 348 'in saxis et speluncis permanat aquarum liquidus umor.' Haec praepositio non proprie ad hanc vocem accommodata est, vel potius dicendum erit verbum permanandi praegnanter illo loco dici pro 'inesse et permanare,' et 'in' referendum esse ad notionem 'inesse.'

c) finis indicatur praepositione 'ad:' I, 355 'rigidum permanat frigus ad ossa.'

persultare I, 15 'persultant pabula laeta.'

Verbum pervadendi quoque codices uno loco, ubi apud Lucretium legitur, transitive usurpatum exhibent: I, 554 sq. 'ut nil ex illis a certo tempore posset conceptum summum aetatis pervadere finis.' Ita est in mss. Sed primo obtutu apparet hanc coniunctionem verborum tolerari non posse. Quare Lachmannus*) pro 'summum' scripsit 'summa.' Sed in hac oratione cum in primis satis obscurum sit hoc ipsum 'summa,' quod Lachmannus restituit, quodque ipse sic definit 'universo vivendi actu' ego scribendum puto 'ad summam aetatis pervadere finem,' aut quod Briegerus proposuit 'ad summae aetatis pervadere finis,' quamquam in hoc pleonasmo qui evadit si coniungitur 'finis summae aetatis' quodammodo offendor. Praepositio autem 'ad,' quam omisit Christius, non omittenda est, quoniam finis indicatur ad quem quid perducitur, quod perspexit Lachmannus qui laudat Varr. L. L. VII. p. 300: quare quod est 'pervade polum' valet 'vade per polum.' Nostro autem loco inepte diceretur 'vadere per finem.'

pervolgare neutrali sensu Lucretius semper cum accusativo coniungit: II, 164 'pervolgant fulgura caelum.' II, 346 'quae pervolgant nemora avia.' IV, 206 'solis pervolgant lumina caelum.' Uno autem loco, ubi activam ei tribuit sententiam, cum praepositione coniungit: V, 1160 'quae causa deum per magnas numina gentis pervolgarit.'

pervolitare transitive II, 145 'nemora avia pervolitantes,' quod iterum occurrit VI, 346. Altero loco VI, 952 'per dissepta domorum pervolitat' praepositio adiecta est. Primarium verbum 'pervolare' semper intransitivum apud Lucretium est.

praeterire omnibus locis Lucretianis transitivam accepit potestatem: II, 1004 'quod saepe nocentes praeterit.' IV, 384 per tmesin 'ea praeter creditur ire.' V, 758 'loca praeteriit flammis infesta.' Passiva forma hisce locis exhibetur: I, 468 'praeterita

*) Ceterorum doctorum virorum emendationes vid. Lachm. comm. p. 43.

aetas'. II, 1167 'temporibus praeteritis'. III, 853 'praeteritum spatium.'

Ex verbis cum 'sub' praepositione compositis unum 'subire' memorabile est. II, 363 codices praebent 'subitamque avertere curam' quod confirmat Macrobius et probant Wakefieldus et Munroius in editione altera. Et rectissime quidem, puto, subitam curam ita interpretari licet ut idem sit atque 'id curae quod eam (sc. matrem) subiit.'*) Quae quidem verborum constructio satis mihi videtur constabilita esse analogia illa, qua alia participia passivi maximeque a compositis ab eundi verbo derivata eodem modo usurpantur: ita 'praeteritum,' de quo vide paulo supra. Ac ne simplex quidem eundi verbum passive et personaliter usurpatum abhorret a sermone Latino, ita Lucilius apud Nonium p. 449 'intereunt, labuntur, euntur omnia versum.' Lachmannus pro 'subitam' scripsit 'solitam,' quod minus placet, quippe quae cura nuper recepta et non usitata sit. Altero loco quo verbum 'subire' legitur quam proxime accedit ad vim obeundi: VI, 1243 'optimus hoc leti genus ergo quisque subibat.'

Cum 'super' praepositione compositum unum invenitur in Lucretii manuscriptis verbum, quod accusativum patitur: III, 1029 'salsas docuit superire lacunas.' Lachmannus versum pro spurio habet, quippe qui intolerabilem efficiat orationis abundantiam. Qua in re ei assentiri non possum et retinendum censeo esse versum, modo mutato 'superire' in 'superare' veteribus editoribus et Munroio praeeuntibus. 'Superire' enim alias non legitur, saepissime autem apud omnes scriptores montes mare flumina superari dicuntur. Atque etiam significantius multoque acrius hoc loco superandi vox, quacum pugnae periculique cogitatio coniungitur, adhibetur, quoniam de Xerxe sermo est, qui magnis periculis magnisque opibus exercitum Hellespontum traiecit.**)

transcendere III, 60 'transcendere finis.'

transcurrere II, 163 'loci spatium transcurrere.' IV, 205

*) cf. Munro adn. p. 429.

**) In eadem sententia C. Wolffius videtur fuisse, quoniam in dissertatione, quae est de Lucretii vocabulis singularibus, hoc verbum non affert, quamquam memorandum certe erat, cum omnibus codicibus traditum sit.

'multiplexque loci spatium transcurrere.' Semel cum praepositione: IV, 191 'immemorabile per spatium transcurrere.'

Verbum transeundi duas admittit structuras — accusativum et praepositionem — nulla plane differentia intercedente, quod inde cognoscitur, quod eadem substantiva in eodem sententiarum nexu cum hoc verbo coniuncta modo obiecti vice funguntur, modo a praepositione pendent, veluti II, 386 'trānsire — foramina' — IV, 598 'vox per flexa foramina — incolumis transire potest.' Accusativus igitur his locis occurrit: I, 201 'pontum transire.' I, 489 'transit enim fulmen caelum.' Sic optime Lachmannus locum restituit, cum codices praebeant 'caeli,' qua orationis formatione et inepta evadit rerum condicio absurdaque comparatio, et coniunctio verborum apud Lucretium inusitata 'fulmen caeli.' II, 386 'transire foramina.' IV, 150 'neque uti vestem potis est transire.' IV, 437 'campos pedibus transire videmus.' IV, 610 'transit clausa domorum.' V, 227 'cui tantum in vita restet transire malorum.' VI, 348 'integra transire multa.' Praepositio exstat his locis: II, 388 'lumen per cornum transit.' IV, 598 'vox per flexa foramina incolumis transire potest.' VI, 228 'transit enim validum fulmen per saxa per aera.' VI, 448 'frigus enim transire per aes calidumque vaporem sentimus, sentimus item transire per aurum.' VI, 488 codices praepositionem omiserunt, sed quoniam metrum eam postulat, iam Marullus procul dubio recte eam adiecit sic scribens: 'immemorabile per spatium transire solerent.'

transnare IV, 176 'tranantibus auras.' IV, 599 'recta foramina tranant.'

transvolare IV, 557 'transvolat auras.' Eodemque modo construitur frequentativum ab hoc deductum:

transvolitare I, 355 'clausa domorum transvolitant.'

Vita.

Natus sum Hermannus Keller a. d. IV. id. nov. a. h. s. LV, in oppidulo Marchico nomine Vierraden apud Suetam sito, patre Friderico, qui praematura mihi morte ereptus est, matre Carolina e gente Rickmanniana, quam colo superstitem. Fidem profiteor evangelicam. Quattuordecim annos natus, postquam primis literarum elementis in ludo communi imbutus sum, anni LXIX tempore autumali Regiomontium Neomarchicorum me contuli, cuius urbis gymnasium per undecim semestria frequentavi. Deinde vere a. h. s. LXXVI maturitatis testimonio instructus inter cives universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis receptus sum, ubi studiis philologicis operam navavi et scholis interfui virorum doctissimorum Harmsii, Huebneri, Ad. Kirchhoffii, Mullachii, Muellenhoffii, J. Schmidtii, Zelleri. Bis sex menses ibi versatus Halas me contuli, ubi studia philologica continuavi per sex semestria et praeceptoribus usus sum viris doctissimis Haymio, Hillero, Keilio, Kramero, Riehmio, Ulricio, Zachero. Seminarii philologici duo, seminarii paedagogici quattuor semestria sodalis fui ordinarius. Praeterea mihi Zacherus, ut per quinquies sex menses societati theodiscae interessem, benigne permisit. Quibus omnibus viris, in primisque Keilio et Zachero, qui prae ceteris studiorum meorum fuerunt moderatores et adiutores, gratias hic ago quam maximas.

Suetae, Typis expressit F. Freyhoff.